Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1797)

1497

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ Octobris.

M. CLAUDIO BERGER, Doctore Medico, Decano, Præſide.

An arthritidi obnoxiis γαλακτοποσία?

QUAMVIS cœleſtis materiæ conſtitutio, & animatæ molis diſpoſitio una eademque paſſim appareat, vernaculi tamen morbi in certis terrarum plagis, & animalium partibus, cum quâdam ſexûs, ætatis
necnon conditionis præelectione, graſſantur: & ſporadicorum non pauci, dum in mares, ſorte meliùs habitos, involant, fœminis & mancipiis parcunt; modò illæ, nec menſibus defraudatæ, nec virili licentiâ
effrænæ vivant. Sic Alpinis bronchocele, ſtrumæ Hiſpanis admodum ſunt familiares. Sic in Italia quondam mentagram ſenſêre primates, plebe intactâ. Iſtiuſmodi ſanè indolis eſt articularis affectus, μισογυνὴς
ἢ μισόπτωχος, ut creberrimum virorum εὐχαρέντων, martyrium audiat; qui licèt de quovis articulorum dolore dicatur, veriùs ab illâ ſpecie, quam ab humore quaſi guttatim cadente, guttam vulgus appellitat,
nuncupatur. Hæc univerſalis, particularis, diverſa, prout hanc vel illam partem indifferenter invadit; fixa vel vaga, conſtans vel fugax; & pro vario cauſarum antecedentium genere, nunc quas adoritur partes lentè
rodit, nunc intensè cruciat; interdum, ab avo, atavo, hæreditaria; interdum ex moribus acquiſita; nonnunquam nodis & tophis ſtipata graditur; nonnunquam apertè furit, graviſſimis ſymptomatis atrox; & longiori-
bus, brevioribuſve intervallis recurrens, rariſſimè perſeverat. Aliàs ab occultis principiis, ſtatiſque periodis; aliàs ab evidenti causâ & ſubitò reviviſcit. Demùm ab incerto vivendi ritu frequens arthritidis occaſio eſt.
Hinc ad ejus prophylaxin medico non ſatis ſit, ſi ſubductâ humorum colluvie, nutricem mali velut in cunis ſuffocaverit; niſi eô quoque cibô reficiat patientem, qui & ferocientes humores compeſcat, & languenti
ventriculo negotium non faceſſat.

ARTHRITIDIS auctor eſt ſerum, ſalino recremento coinquinatum. Hoc, cùm in partes irrumpit, functiones ut plurimum interpellat. Enim vero eſt ubi acrimoniâ ferox exteriores aggreditur, cum in ſan-
guine, fervidiore videlicet, ebulliens in halitûs elevatur: hinc in cutim ſuppoſitaſve membranas inſtar roris effuſum, rheumatiſmum, ſeu mavis univerſalem phlogoſin, citra tumorem, & cum dolore lancinan-
tem, accendit. Eſt ubi in juncturas excurrens eas altè fodicat, vicinaque perioſtia ſpiculis ſuis latè pungit. Efferus ille humor quas adigit partes rarò extumefacit, mole ſæpe exiguum, ſed malitiâ potens. Concipit
vires ab aëre, cum hic, aut madore lento emollit articulos, aut acutò frigore frangit: nec minùs à pravis frugibus & uberiori victu fovetur. Porrò ſi ad iſthæc ventriculi diſpoſitio ſingularis, ex adulteratâ fermenti craſi,
accedat; tunc largior crapula, & indigeſta ſuccorum colluvies, ſanguinem aſſiduâ labe reſpergunt. Is variè & multipliciter alteratur, quatenus multiplex & varium eſt vitium coctionis. Omnis tamen actio, quâ
malè afficitur, ſalinis particulis tota debetur. Ventriculus non uno, ſive proprium illud ſit, ſive partium incumbentium, calore conficit cibos; huic, à ſaliva continuò deglutitâ, & ventriculi fermento, vis ſolvendi ineſt; quæ
ſi benè morata, bellè & citiſſimè concoquit, quæ ſolida, liquida, cruda vel cocta quotidie ingeruntur. At ſi quando arthritide ſubinde recidivâ obtunditur; tunc fluctuant alimenta, quæ mox, non convenienter attrita,
in crudum & impurum liquamen ſecedunt. Ægrè itaque podagricum reſtituas, niſi hiſce refoveas maceratum, quæ nullâ ferè tùm ſpirituum, cùm liquoris ſolventis, facultate egent, ut detrimenta reſarciant.

ALIMENTUM aſſiduè ſuperingeſtum, longam in fervente & fermentato ventriculo moram trahit. Inde reſolutus languet fermentativus latex, quoties in illum derivant cœnæ pretioſæ & ſumptuoſæ, aut
alterius famis irritamenta. Nimirum quò elaboratior cibus eſt, eò errori paratior. Malè curioſo palato quæris lenocinia, quibus perdurat eſuries exuberante ſatietate. Hæc ab helluonum ingluvie tàm moleſtè
aſcendunt, quàm jucundè deſcenderant, & ea ſunt quæ magis arthritidem irritant: quæ idcirco non torquet infantes, quod ſobriè nutriantur. Fruſtra fomitem illius aliunde repeteres. Hinc ſubiti cruciatûs, cum
crudum pavonem indomitaque opſonia in aqualiculo portas. Hinc digeſtionum anomaliæ, cum imparia, imparibus commiſſa, tumultum movent. Sic augetur minera mali, & corpus cùm ſuâmet, tùm cruditatis mole
gravatur. Quàm longè ſalubriùs paſcitur qui obnoxius arthritidi, à liberiùs vivendi proclivitate dum ſibimet temperat, ea in nutrimentum aſſumit, quæ vel ad chyli naturam attingunt proximè, vel in illius ſubſtan-
tiam facillimè convertuntur; qualia ſunt quæ ſimplicia, tenuia & flexilis contexturæ, ſolventi ſine negotio cedunt. Hæc acres humores deliniunt, maſſæ lenitatem conciliant, ſalina deturbant. An ab animalium car-
nibus toſtis, elixis, piperatis, ſalitis, iſthæc commoda? Illæ quemadmodum tot varia, gulæ laſcivientis inventa, ab arthriticorum culinâ feliciter exulabunt, quæ cum duris ac diverſimodè intricatis fibris conſtent,
reſiſtunt ventriculo, diſcedunt non ſociata, & in humores refuſa, vel ſeditionem promovent, vel in articulos imbecillos concitant fluxionem. An non prudentiùs ſapis, qui lacte ſimplici, crudo & ſine condimento,
contentus veſceris? iſtud ſapore & conſiſtentiâ æmulum chyli eſt, levi fervore digeritur, facilè permeat, & in viſceribus quibuſcunque mutationes legitimas ſubit.

LAC hominum, quadrupedum & cetaceorum alimentum primum, liquor eſt ſubdulcis, in qualitatibus temperatus, ab aliorum communione ſegregatus in mammis, fermentô peculiari, & mollioribus glandulis.
Utrum à chylo aut ſanguine immediatè mutatô ſit, parùm refert. Non in quovis ſexu, non in diverſo tùm vitæ, cùm fortis ſtatu, ex æquo reperitur. Ad monſtrum accedat ſi lac in fœminâ virgine reperiatur: Coa-
leſcit ex ſubſtantiâ triplici, levi operâ alterandâ, quoties à congenitis recedit diſſociata. Harum alia ſulphurea eſt, pinguis & inflammanda; alia *ſalſo-nitroſa*, macra, & aciditatis volatilis particeps; alia denique ſicca,
terreſtris, lixivialis fixa. Lac autem, tam in ſpecie, quàm in individuo, non eſt unius naturæ; paſcendi modo ſordeſcit; aceſcit libidine, & imaginatione commotum vappeſcit. Imprimis nobile eſt, quod inter craſſum
& tenue, genuino & albicante colore ſplendeſcit, odore ſuave & blandum, ſed nobiliſſimum eſt, ſi recenter mulctum, pleno ab ubere, ſaporis ſit perdulcis & ſaccharati. Hinc procul ſalſedinis, acredinis, viroris, ama-
roris, acerbitatis, inſipiditatis ſuſpiciones. Lactis omne pretium ab aſpectu loci, ab ubertate ſoli, à delectu paſtûs & à temporum ratione. Ejus quinque præcipuæ ſpecies ad hominum uſus deſignantur; humanum
ſcilicet, quod naſcenti magis analogum, caprillum conſiſtentiæ mediocris, ſed ſiccioris; ovillum plus caſeo, quàm ſerô dives, quo ad exuberantiam aſininum ſuperabundat. Verùm, ad arthriticorum levamen &
nutricatum, palmam aliis bubulum ſubripit, ſi cum legitimis dotibus, ſtatis dierum horis, ventre ab heſternis repurgatô, per ſe ſolum, vel cum pane ſaltem optimæ notæ, oggeratur. Hoc pingue conſiſtens pluri-
mùm nutrit, quia maximè butyroſum; & hâc parte ſui inviſcat aculeos acerrimi ſeri, pungentes retundit; ſeroſâ marceſcentes & reſiccatos articulos lenit, quos caſeoſâ firmat. Num igitur lac ſic comparatum ſtomachô
quantumvis fracto, vim infert? quin potius mollioris hujus alimenti pars humoribus advenit, quæ ſodalium diſſidia ſedet, & labores, ſi quos artus habeant, unà egregiè demulceat.

HOC ex fundamento, cum plurima eveniant homini, quæ ars periculoſiùs curat, quàm miſſa facit; eò quòd tam medicantium operam, quàm medicaminum vires ludant: quiſquis ad arthritidem, dùm viget adhuc,
compeſcendam incumbit, doloris ſedem vel paregoricis, quæ acidum mordens implicare ſunt nata, liniat; vel admotis, ſaltem cautè, quæ reſerant poros, per halitus ſerum educat, quod intus retentum angebat.
Illa tamen cum delectu præſcribet, qui uti articulorum, ita & humorum peccantium mores novit. Fermenti acquirunt acredinem reliquiæ craſſamenti, quâ ſuo tempore, nocent; cum, recurrente catharro, acerbiùs
efferantur. Idem de narcoticis tibi judicium eſto, quæ non minùs partis afflictæ, quàm tormenti robur relaxant. Primus curantis ſcopus circa peculiares viſcerum nutriciorum intemperies verſetur, in quibus tacitè
cuditur juncturarum tortor. At dum ad arthritidem præcavendam accingitur; ratione & experientiâ edoctus, ſicut ad venæ ſectionem celer, ſic ad ſeroſam bilioſamve illuviem quovis modo deturbandam lentus feſtinet.
Sua ſint Κρατυντικὰ empiricis, & quibus περὶ βαναυσίαν, inexplebilis cupiditas adeſt. Hujus affectûs eradicationem ſpondeat, cui facilè & pronum eſt idiotarum animos ineſcare; inſomnis, ſi velit, ad fornaces palleat,
metalla reverberet, liquet; vel vegetabilia digerat & maturet, quæ caſſa & irrita arthritico offerat, dum interea dogmaticus è vaccarum uberibus ducit, quod eidem utiliùs conſulat. Hinc fallitur quiſquis, ſpretâ diætâ,
omne artis præſidium in operoſis ponit. Tutiſſima ſunt in arthritide, quæ nutriendo medentur; hæc velut nativam temperiem viſceribus reddunt, ſic vitiatam ſanguinis craſin emendant, atque currentis, ad ægras
partes ſeri impetûs ſiſtunt. Lac per fotum, per balneum, ſi extrinſecùs admoveatur, internos dolores ſopit: quid ab illo non ſperandum, ſi prout expedit hauſtum & debitè ſubactum, præcordiis opem ferat, & ſqual-
lentes ac languidos artus, ſenſim & ſine ſenſu, priſtinæ firmitati reſtituat.

Ergo, arthritidi obnoxiis γαλακτοποσία.



Proponebat Pariſiis PETRUS JACQUEMIER, à ſancto Felice Diœceſis Toloſanæ, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.